UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis Imperatrix S. Otho Episcopvs

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Epistola I. Henrici IV. ad S. Othonem Bambergensem Episcopum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

Visual Library

VARIAE EPISTOLAE AD HISTORIAM BAMBERGENSEM SPECTANTES.

Epiſtola I. Henrici IV. ad S. Othonem Bambergenſem Epiſcopum.

HENRICVS DEI GRATIA Romanorum Imperator Othoni Babenbergenſi Epiſcopo ſuo dilecto & certo fideli gratiam & omne bonum. Nunc imminente neceſsitate debet apparere, qui ſint fideles nobis, & ipſa euidentia rei manifeſtandum eſt, quantum nos diligant & honorem noſtrum. Scias igitur quod nos vſque VVirzeburc venimus cum multis militibus, & adhuc ibidem plures exſpectamus, cupientes cum DEI adiutorio inimicos noſtros inuadere, & caſtrum noſtrum Nurenberc, quod obſident, liberare.

Anno Domini 1105. deſciuerat Henricus filius à Patre. Quare cum aliis, tum S. Othoni, ne deſereretur, ſupplex factus eſt.

Quapropter tibi, ſicut optimo fideli rogando mandamus, vt ad nos venire feſtines cum omnibus, quos habere poteris, ſicut tibi confidimus. Inſuper etiã diligenter te rogamus, vt in præſenti noſtram cõſideres neceſsitatẽ, & A. qui nobis eſt neceſſarius, concedas beneficiũ, ꝙ à te poſtulat, animaduertens, ꝙ modò nos præſens periculũ compellit multis ſupplicare, & eorum voluntatem faciendo, ipſos in noſtra fidelitate confirmare, & hac ratione conſtrictos, de his & de aliis multis oportet nos te rogare aliter, quàm vellemus: ſed nos, DEO volẽte, ſi proſperitas aduenerit, te & Eccleſiam tuam, ſicut dignum eſt, reſpiciemus. De hac re fac, ſecundum quod tibi dicet N. ex noſtri parte.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN